

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Hermes Theologicvs, Id est Synopsis totius Theologiæ,  
perspicuè, doctè, subtiliter, ac breviter discussa**

Et In octo Partes ... distincta ...

De Deo Vno, & Trino

**Vindalium, 1646**

Sect. II. An Ecclesiæ, & Saluti necessaria sit Theologia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38742**

## SECTIO II.

*An Ecclesia, & saluti necessaria sit  
Theologia.*

## CONCLUSIO I.

**N**on tantum assensus fidei, sed  
præterea aliquis assensus Theo-  
logicus adultis est simpliciter neceſſa-  
rius.

Prima pars quoad necessitatē fidei, est  
apud omnes certa, ex D. Paulo ad Heb.  
11. & probabitur in materiâ de fide.

2. Pars Probatur. Quia adultus si  
diu viuat debet actiones & intentiones  
suas ad ultimum finem supernaturalem  
ordinare ut saluetur; at qui hæc desti-  
natio fieri nequit sine aliquo discursu  
& assensu Theologico, deducto ex  
principiis fidei, atque adeò sæpe sine  
multis eiusmodi assensibus, ergo neque  
adultus potest sine iis saluari. Maior est  
certa, quia saluandus si adultus sit &  
diu viuat, debet ad Deum aliquas actio-  
nes suas & intentiones referre. Minor  
probarur experientiâ continuâ, & præ-  
terea ratione.

## PRO O E M I V M .

5

Nisi enim quisque ex principiis fidei inferat quid sibi hic & nunc sit agendum; quo modo temptationibus resistendum, quando orandum, quid omittendum. quid faciendum, & similia, nunquam consentaneè ad finem suum consequendum operabitur. Quod probatur, quia singularia quæ spectant ad actiones huius vel illius non sunt nobis immediate reuelata, sed debent ex Principiis reuelatis deduci, in quibus inferendis discursus Theologicus occupatur; & quidem multæ ex his conclusiōnibus Theologicis etiam imperitis & rudioribus in expedito sunt, & in promptu; ad alias verò eliciendas plus ingenij, eruditionisque desideratur; sunt que præterea doctiores consulendi, ergo præter fidem multi assensus Theologici & consequenter doctrina Theologica modo explicato desideratur.

C O N C L V S I O II . Theologia etiam ut à fide distinguitur & significat scientiam proprio studio & labore comparatam ex fidei principiis inferendo; semper fuit, & est hodie necessaria ad Ecclesiæ conseruationem, spectatâ ordinariâ Dei prouidentia.

C O N C L V S I O Est contra Hæreticos qui non minus vesanè quam

A 3

## 6 PROOEMIVM.

fraudulenter contendunt Theologiam Ecclesiæ esse noxiā, ne scilicet eorum errores Theologorū rationibus aperiātur, & profigentur, vide molinam hic disput. 2. Arrubal. c. 2. 3. 4. 5. Valenti. pū. 2 Vasq. Gillium lib. 1. Tracta. 1. a. cap. 2.

Probatur quia fides necessaria est ad Ecclesiæ statum & conseruationem, ergo etiam Theologia. Probatur consequētia, quia non tantum extra Ecclesiam, sed etiam intra multi sāpē existunt corruptissimis moribus, qui fidem oppugnant, & errores ferunt & alij boni, qui rationem dictorum exigunt, præterea multæ difficultates circa res ipsas reuelatas existere possunt, non enim omnia Deus explicitè reuelauit, nec consentaneum iudicauit de novo quotidie reuelare; ergo ut his omnibus incommodis occurratur, Theologiæ disciplina necessaria est, ut diutiùs fides ab erroribus intracta conseruetur lege Granadum, Fasolum, Zumel, & imprimis eruditum ad subtilem P. Ioseph. August. Panorm. in Comment. in 1. partim. recens excusis. Deinde cum res fidei captum humanum longè excedant, debent illustrari, & defendi ope Theologiæ, ut intellectus iis firmiter assentiatur: Eo vel

## PROOEMIVM. 7

maximè, quia assensus fidei debet esse prudens, qualis non esset, si homo rebus obscurissimis, & difficilimis assensum præberet, antequam ipsi sufficienter essent explicatè, & variis rationibus confirmatæ.

Vt autem hæc omnia commodius intelligantur proderit notanda quædam subtexere, Nota 1. Theologiam scholasticam non extitisse ante Magistri temporâ, quoad methodum, & ordinem quo traditur in scholis; qua ratione non est necessaria ad salutem, licet sit valde utilis: extitisse tamen quoad suam substantiam, seu quatenus est habitus scierificus varias conclusiones ex reuelatis deducens, quo sensu dicimus eam ad salutem esse necessariam.

Nota 2 Non omnes qui saluantur esse Theologos, eos tamen non saluari sine ope Theologiæ; quæ proinde etsi non sit necessaria in singulis, est tamen necessaria pro singulis, saltem ut plurimum, & spectata via ordinaria qua fides in adultis gigni, & augeri solet.

Dico vt plurimum, nam interdum contingere potest, vt quis extraornariè, viso, verbi causa, aliquo insigni miraculo, tam efficaciter à Deo moueat, tantaque luce perfundatur, vt sine alia de-

PRO O E M I V M .  
claratione, aut probatione Mysteriorum  
fidei, iis propositis statim assentiatur.

---

### SECTIO III.

*An sit Sapientia.*

### CONCLVSIO VNICA.

**T**Heologia nostra meretur proprietatem nomen sapientiae.) Ratio est, quia conditiones veræ sapientiae illi competent, agit enim de rebus propè infinitis, quæ sub reuelationem cadunt; considerat res difficillimas, & à sensu remotissimas; multo maiorem habet certitudinem quam scientiæ naturales; versatur circa causas vniuersalissimas rerū omnium, & per illas iudicat de inferioribus scientiis, easque dirigit ad veritatem: ac denique ipsa non ordinatur ad alias, quin potius aliæ debent ad eam ordinari, ut illi famulentur, & ab ea corrigantur.

Neque refert, quod in vulgari divisione habituum intellectualium, sapientia ponatur ut habitus à scientia distinctus: nam duobus modis potest aliquid